ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D.

JACOBO MONICO

S. VENETIARUM ECCLESIAE PATRIARCHAE

PRIMATI DALMATIAE

A SUPREMIS DIGNITATIBUS

CORONAE REGNI LONGOBARDI VENETI CAPELLANO

etc. etc. etc.

PATRIARCHALEM DIGNITATEM ADEUNTI

GRATULATIO

HABITA IN D. MARCI BASILICA

AB ALOYSIO MONTAN

EJUSDEM PATRIARCHALIS ECCLESIAE CANONICO

CAPITULI NOMINE

VENETIIS

TYPIS ANTONII CORDELLA

MDCCCXXVII.

GRATULATIO.

Quamquam quae ad copiosam et ornatissimam laudationem aptissima ac necessaria sunt, gesta videlicet praeclara, animi dotes, caeterasque virtutes, quae Pastorem numeris omnibus absolutissimum constituunt, in Te semper, Illustrissime ac Reverendissime Praesul, tum cives tui, tum alii etiam homines admirati sint; nihilominus haec omnia ad dicendum amplissima me aliquid de tuis laudibus cupientem dicere ita dejiciunt, ut ibi verear jejunam et exanguem orationem meam, ubi laudationis genus opimum est, et gestiens ipsemet animus ita me quatit atque perturbat, ut vel ipsam dicendi vim obstruat plane atque intercludat. Quod mihi eo acerbius accidit, quo ego, quamvis dicendi copia minime comparandus aliis, certe candidiori animo, atque studio ardentiori nulli secundus, pro reverentiae, gratique animi officio hanc laudis tuae orationem instituo. Obversatur enim adhuc menti, et perpetuo infixa haeret, atque haerebit liberalis Tua illa voluntas, qua multis ab hinc annis absque ulla mea meritorum ratione Te mihi benevolum semper ostendisti, et tanta oris et verborum comitate excepisti, ut quam de Te praedicari audieram effusam in omnes benignitatem, ipsemet Te alloquens hauserim, atque ebiberim. Ex quo factum est, ut me Tibi ea reverentia, eoque dilectionis obsequio devinctum senserim, ut mihi in votis continuo fuerit aliquod mei in Te obsequii pignus exhibere. Et profecto bona sese mihi nunc offert occasio, ex quo Canonicorum Tuorum jussu mihi

potissimum haec provincia defertur, qua Te a Cenetensi Ecclesia Patriarchalem hanc, ampliorемque nunc primum adeuntem totius Collegii nomine alloquor, et in tanto eorum, totiusque Civitatis gaudio gratulandum est. Novi equidem suscepti oneris magnitudinem, reique tam salebrosae difficultatem omnino intelligo: malo tamen infacundus Orator, quam ingratus et inofficiosus videri. Nam ad Te quod attinet, tamdiu non deerunt Tui nominis laudatores, quamdiu non defuerint amatores literarum et verae virtutis: mihi vero adesset caussa subverendi, ne viderer aut minus nosse virtutes, quae Te ornant, aut non ea, qua par est, admiratione prosequi, si rei difficultate perterritus a Tuis exponendis laudibus abstinerem. Verum quid dicam, quod Te dignum sit? Nihil sane, quod non omnibus sit cognitum. Norunt enim probe omnes, quae sint praecipua Tui animi ornamenta, probitas, et doctrina: qualis vita anteacta, quae Cenetensis Ecclesiae administratio fuerit: et ideo laetis animis licet conjecturare, Te, qui tanta integritate ac sapientia veteris Ecclesiae regimen sustinuisti, gravioribus certe curis hujus nostrae atque negotiis haud imparem fore. Vereor tamen, Illustrissime et Reverendissime Praesul, ne cum tanta sit Dignitatis tuae majestas et amplitudo, ut nihil dicendum sit, quod non expolitum, non elaboratum ac perfectum evadat, nonnulli ingenii mei mediocritatem et audaciam damnent, quod hanc Tuarum laudum provinciam susceperim. At si in summo fastigio sedet cum dignitate clementia, dum illa incutit admirandam venerationis speciem, haec me prostratum erigit, confirmat, omnemque expellit formidinem. Itaque cum tanta, et minime dubia exultationis ubique signa se prodant, quanta ex omnium Ordinum studio et observantia publice apparent, sine, quaeso,

Clarissime Antistes, pro ea, qua me semper complexus es benevolentia, ut quod alii facere gestiunt, id ego Tibi voluntatis communis interpres ultro possim significare. Quod si ob singularem, qua praeditus es, animi moderationem Tibi videar blandiri, atque assentari, pro certo tamen habe, nihil aliud in Tuis laudibus celebrandis mihi proposuisse, nisi ut historici partes sustineam, non Oratoris. Quae mea oratio quamvis omni verborum elegantia, et splendore jam careat, et impar omnino sit tum Tibi disertissimo Viro, tum virtutibus tuis, tamen Te pro tua benevolentia benigne auditurum confido.

Cum Te quatuor ab hinc annis ad Cenetensem Cathedram evectum intellexi, jam tum mihi praesagiit animus, hanc Tuam Ecclesiae utilem electionem fore, ut saepius cum gaudio dicerem, talem esse Praesulis prudentiam, solertiam, vitaeque integritatem, ut eo Rectore et Duce haud dubie consecutura esset, quae inde aliis quoque Ecclesiis maximae forent utilitati. Obversabatur enim menti adolescentia Tua, quae olim, tamquam in semine, omnibus ostendebat, quos uberes fructus esset paritura. Obversabatur vitae Tuae ad exemplum, et admirationem humanitatis, modestiae, pietatis, Religionis, et virtutum omnium ratio instituta, adeo par sibi, tamque constans, ut jam ex tunc appareret, Te talem postea futurum, qualem nunc suspicit Ecclesia. Et sane, Auditores, ut ea silentio praeteream, quibus a natura parente optima institutus fuit MONICI animus, et ad arripiendam virtutis viam egregie comparatus, prodeat in lucem, et ante omnium oculos versetur praeclarissima in Tarvisino Seminario habita institutio, a qua hausit ille tum omnem optimam agendi, intelligendique rationem, tum eum amorem solitudinis litera-

riae, ut etiam ad paternae domus commoda reversus eumdem semper tenuerit studiorum ac disciplinae cursum, a quo non libertas ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non socordia ad inutilem quietem eum revocarit. Nullum in otio contrivit diem, nulla eum allexit voluptas praeter eam, quae ex recte factis, et ex virtutis pulchritudine proficiscitur. Quantum igitur temporis caeteri adolescentes ludis, solatiisque insumunt, tantum ille literis, scientiisque tribuebat: et quid hinc mirum si ejus in studiis profectus, ejus discendi desiderium caeterorum expectationem superaret? Praetereo ejus pietatem, majoribus obedientiam, compositum corporis habitum, morumque suavitatem, quae Deo, et cuicunque hominum ordini commendabant. Nullus porro existimet, humanioribus adeo se in literis abdidisse, ut moralibus informare virtutibus animum totis itidem viribus quam validissime non niteretur. Cum enim animo saepe revolveret, partas laboribus scientias, nisi firmissimo Religionis fundamento consistant, prolabi omnino, cumque arctiori Dei servitio se mancipaverit, graviora studia, quae ad Ecclesiae splendorem ac utilitatem conferre possunt, Philosophica scilicet et Theologica, impense coluit; et ita in illis profecit egregius Vir, ut sicuti ingenio, ita laboribus, assiduitate et industria aequales praeteriret. Ex quo factum est, ut emenso vix studiorum curriculo in praeceptorum numerum fuerit cooptatus. Quae et qualis in instituenda juventute ejus ratio et norma, aperte dicerem, nisi extarent sapientiae illius testimonia. Extant certe plurima Latino et Italico sermone, cedro et auro digna, monumenta typis mandata, quae Oratoribus et Poetis in deliciis fuerunt: sunt et poeticae Exercitationes publice recitatae, dum in Seminario versaretur, Academicorum nomine, qui-

bus nihil melius, nihil elegantius: sunt Orationes, quae optimum Rhetorem ac disertissimum Virum tanta sui nominis gloria, et Christianae rei augmento omnibus commendarunt. Namque in his quae facundiae dignitas! quam diligens et casta orthodoxae doctrinae interpretatio! in dicendis quae oris suavitas! quae civium in audiendis frequentia! qui animorum motus! nec mirum, cum dicentis exempla omni oratione potiora hominum mentes accendant. Nec inter plausus unquam quid gloriosum ex ejus ore prodiit: de se enim ita demisse sentiebat, ut cum aliquid ex suis lucubrationibus in lucem edi vellet, doctissimorum hominum sibi familiarium consilium exquireret, a quibus jure meritoque laudatus bona sua uni Deo accepta referebat.

Sed doctrinae et virtutis splendor non diu privatis parietibus concludebatur: effundit se fama, festinanter excurrit, et late disperditur. Satis jam Seminarium illustrarat MONICUS: ad ampliora ipsum Superi vocabant. Nam cum in Illo talem Divina Providentia Virum praepararet, qui egregius Antistes Ecclesiae Ministris praeficeretur, in suam tutelam sacra reciperet, Christiani gregis portionem pabulo aleret sapientiae, eam ipsi tribuit morum integritatem, qua aequaretur pientissimis, illud ingenium, quo difficillima assequeretur, eam tandem reliquarum virtutum accessionem, qua non solum Pastor videretur, antequam fieret, sed etiam viris in pietate et doctrina provectis merito posset comparari.

Et sane quis summe non admiretur, cum suspiciat, quanta, licet exigui Gregis Rector, praeluceret pietate, quanto commissa Sibi munia animi ardore, studio et cura adimpleverit? An ulla desidia fregit? an ulla a laboribus voluptas unquam avocavit, qui toto sui regiminis tempore ne una qui-

dem nocte familiae suae invisendae et alloquendae caussa a paroecia abfuit? quando ardentissima in eo refriguit erga Deum et homines charitas? quis lectulo defixus, dulcissimo ejus alloquio morbi sibi imminui dolores non persensit? quis summa rei familiaris angustia pressus, non fuit, quo longius ipse poterat, recreatus? Illum altorem suum inopes adhuc testantur: Illum miserantem liberos cognitorem suum viduae fatentur: Illum pupilli tutorem suum appellant: Illius in periculis fidem, Illiusque praesidium sensisse omnes praedicant. Reliqua praetermitto, nam majora me vocant: major enim Ille effectus est, ex quo in Episcoporum album ingenti bonorum omnium laetitia et exultatione cooptatus fuit.

Sentio, Auditores, me nunc eo jam dicendo devenisse, ubi oratio mea effusa in MONICI laudes exultet, ac prope triumphet. At illud quoque sentio, quo jucundior iis fiet, qui ejus virtutes norunt, eo Ipsi molestiorem fore, qui, ut de se nihil unquam praedicat, ita neque a suis quidquam patitur de se praedicari. Verumtamen per Sapientiam tuam Te oro, Amplissime Praesul, qua Te semper pro suscepto vitae instituto non uni Tibi, sed aliis natum esse duxisti, sine, quaeso, me hoc dare Venetis civibus, ut, quae in Cenetensis Ecclesiae administratione pie, fortiterque gessisti, ea, veritati magis, quam tuae modestiae prospiciens, tantisper commemorem. Sine, nunc in aures hominum id omne perveniat, quod vel ipsa virtutum tuarum commemoratione potest Venetam Ecclesiam ad magnam, certamque spem erigere. Nec ego singula persequar, quibus MONICUS claruit, sed ea, tantum, quae miram ejus probitatem et doctrinam valde commendant, narrabo.

Et primo quidem qualis ad Episcopalem dignitatem ingressus fuit tuus? Ad hanc nempe iter Tibi stravere non

illustrissimae gentis nobilitas, non parentum clarissimorum eximia seu armis, seu virtutibus quaesita merita: sed virtutes egregiae Tuae Augustissimo Imperatori FRANCISCO, sicut gestorum immortalium gloria MAXIMO, ita meritorum aestimatione semper aequissimo, probatae et ornatae. Ad hanc, vocante Coelo, postulante Ecclesia, praeter illam morum innocentiam, praeter illas tum naturae, tum gratiae opes, praeter excellentiam scientiae Ecclesiasticae longo studiorum cursu comparatam, modestiam etiam animi omne honorum genus pertinaciter refugientis non fictam attulisti: ad hanc vix denique tam raro, quam laudabili exemplo accedens coactus. Norunt omnes, quo moerore, quo gemitu Te fuisse Cenetensem Episcopum renuntiatum, nuntium primum exceperis. Singulis mente repostum manet, qua animi demissione, qua tristitia, quo angore exultantia agmina pertransieris, cum ad illam Episcopalem Sedem, quasi vere ad agonem, deducereris. In obeundis porro Episcopalis Officii muneribus, quae maxima sunt, inter Orationum Divina exercitia, inter Sacra jugi usu, et eximio pietatis sensu facienda, inter pastorales labores distribuisti tempus tam constanti et aequabili semper tenore, ut Te et Tua Deum inter et homines partitus, absolutum Pontificem ad formam ab Apostolo traditam hac nostra aetate exhibueris. Invisere carissimum gregem solitus, docere Ipse rudes, ministrare Sacra petentibus, monere errantes, erigere lapsos, solari afflictos, opem indigentibus ferre nullo tempore destitisti: ubique laborum patiens, ubique indefessa cura vigilans, ubique erga singulos comes, severus ubi opus, nemini unquam acerbus, bonis omnibus favens.

Et quid dicam de laudatissimo illo Seminario, in quo juvenes, qui curandis Sacris destinati, Divini Numinis cultui,

ac Ecclesiae se consecrant, ob oculos tuos, sub praestantissimorum Magistrorum censura in laetissimas Sacrae Reipublicae spes crescebant? Hos non optimis tantum morum praeceptis, sed multo magis clarissimis Tuis exemplis ad omnem seu doctrinae, seu pietatis normam traduxisti. Huc saepe ventitare, hic totos insumere dies, unumquemque tyronum oculis probare, colloquio explorare, vario tentare examine, gravissimis concionibus fingere, atque accendere in deliciis habuisti.

Quid dicam de Tua prudentia et dexteritate in eligendis animarum Rectoribus? Notissimum enim Tibi erat, id muneris esse Episcopo, ut non satis arbitretur, curam omnem adhibendam ac diligentiam, ut rei Ecclesiasticae conservandae, augendaeque Ecclesiis curatores, aliisque officiis idoneos Ministros praeficiat, nisi etiam eorum acta frequenter inspiciat, dijudicet, quae emendanda sunt, corrigat, Clerumque totum in disciplina conservet. Scit enim inter Ministros Ecclesiae reperiri aliquos posse, non pastores, sed mercenarios, quae sua sunt quaerentes, non quae Jesu Christi, non animarum, sed pecuniarum lucris inhiantes. Quod si oves ab iis negligantur, aut perdantur, profecto Episcopi ignorantiae excusatione culpam a se amovere non possunt, cum ad ipsorum spectet officium attendere ovibus suae nimirum curae a Christo summo Pastore commissis.

Quid dicam denique de familiari convictu? Ibi accessus facilis, et patens omnibus fiducia alloquendi: oris et vultus gratia ad reverentiam; elegantia, dignitas, prudentia in dictis ad suasionem quosque convertebant. Ibi omnia pietatem, modestiam, benignitatem ita spirabant, ut quisque aut melior, aut eruditior, aut magis amans officii, nemo cum tristitia, nemo sine solatio, aut subsidio a Te discesserit: audi-

re enim omnes etiam patienter, in promptu respondere varia sciscitantibus, spem et animos relevare, alios consiliis, alios juvare facultatibus, omnibus denique omnia fieri. Praetereo ad Sacrorum Canonum compositam normam vivendi ab omni luxu semotam, familiam optime constitutam, convictum ubique Dignitati et Officio Pastorali semper consentientem.

Haec fuerunt Episcopalis Dignitatis in Cenetensi Dioecesi regenda veluti tentamenta quaedam, et ad ampliorem denique Dignitatem, idest, ad graviores curas, ad majorem longe laborem quasi praeludia. Quae quidem omnia laetis oculis Imperator noster FRANÇISÇUS, nec minori munificentia respexit, cum hanc Ecclesiam nuper admodum Tibi administrandam concessit: Ejusque votis libentissime annuens ipse totius Ecclesiae Pastor LEO XII. ob singularia Tua merita confirmavit. Ille, inquam, LEO, a quo virtus una probatur, quique Apostolico illo ex culmine universam sibi a Christo demandatam prospectat Ecclesiam, optimis regit consiliis, atque tutatur, debitum Tibi praemium, novam seu potius laborum segetem contulit. Sic nimirum, divina providente benignitate, communi bono Venetae Ecclesiae, ad hanc Patriarchalem Sedem vocaris. Haec certe, aliaque animi decora et ornamenta, quae in caeteris perpauca et divisa, in Te plura et simul reperiuntur conjuncta, hunc contulerunt honorem, atque longe ampliores, nisi vota me fallunt, pollicentur. Procul hinc cupiditatis, ambitionis, favoris suspicio omnis. Nam Te non utilitas Tua, sed Ecclesiae (quam unam mutandae Sedis caussam legitimam statuere Sacri Canones), Te, inquam, nihil suspicantem, nedum tale aliquid desiderantem, traduxit plaudentibus omnibus bonis; sola maerente Cenetensi Sponsa Ecclesia, a cujus dulcissimo amplexu avel-

leris. Et illud quidem desiderium Sponsi amissi non alio potest solatio levari, nisi quod Te suum Patrem (ut pote qui Metropolitico gradu fulges) adhuc suspicit, et gratia ac favore Tuo posse in posterum quoque gaudere confidit.

Quae cum ita sint, nunc ergo gratam Tu vicem refer; omnique virtutum genere, fide, providentia, et doctrina vigilantissimi Pastoris decus Tuum facito, et tanto dignum Te munere, dignum his honoribus semper ostende. Sed quid sperare non licet sub tanto Praesule, quem et privatae vitae anteacta institutio, et Episcopalis muneris spectata administratio abunde commendant? quid sperare non licet sub tanto Antistite, qui ipse Sacri Oratoris munere functus Religionis dogmata et mysteria e suggestu explicare, et ad virtutem sectandam excitare non cessat? Id quidem sperant quotquot seu docentes, seu discentes Seminarium incolunt hujus inclytae Civitatis: illud Seminarium, inquam, quod, quasi omnino non esset, humile quondam in Muriani insula delitescebat, zelo ac pietate amantissimi, et vere Pauli Francisci Milesii petentis, ac munificentia liberalissimi Imperatoris FRANCISCI donantis tam celebre, aedium amplitudine et splendore, Bibliothecae praestantia, decore et numero Scholarum Regiae Universitati plane nunc simile, reditibus auctis, Praeceptoribus multiplicatis, prolatis aedificii finibus, parietibus demum ipsis pictis tabulis ornatis exterorum quoque admiratione dignum: illud Seminarium, in quo Clerici divino cultui se consecrant, et educantur. Ab eorum certe religione, morum sanctimonia, solertia, doctrina, ad quam, Te Duce, enutrientur, quid vel cogitari potest, quod sibi Ecclesia polliceri nequeat? Hi in vinea Domini egregiam navaturi operam nostrae aliquando erunt Religionis fulcra: per hos, sicubi nonnihil

intermortuus est, reviviscet verae et solidae pietatis fervor, emendabitur Christiana morum disciplina: horum denique ope Religionis cultus, abstersis, si qui irrepserint, naevis, et profligata ubique superstitione puritati suae restituetur. In eamdem spem rapiuntur quotquot sunt, quibus animarum cura demandata fuit, quique non de mercede solliciti, non quaerentes quae sua sunt, sed Christi, circum vineam Domini gerunt excubias, sive ut densiori sepe eam muniant ad hostiles arcendos incursus, sive ut laboribus, sudoribusque evellant, plantent, et irrigent. Clerus itidem totus confidit, qui summo animi ardore, ac diligentia, quidquid propriis valet viribus, in enunciando Dei verbo frequentiam, in excipiendis Confessionibus sedulitatem, in reprimendis vitiis, virtutibusque fovendis curam ostendit. Confidit Tuorum Canonicorum, meorumque Sodalium Caetus, qui Tibi dignitate proximi, et sollicitudine socii, tamquam summa conjunctione inhaerentes, ceu capiti corpus, hasce devotissimas gratulationes in hac die tam justae, solemnisque universalis laetitiae uno veluti ore, una mente, uno pectore exhibent: et qui studio, consilio, labore quidquid propriis, quamvis exiguis, viribus ex munere praesto esse, obsequi et inservire gloriantur. A Te scilicet, tamquam a Patre amantissimo, ea praestolantur et beneficentiae munera, et pignora amoris, ex quorum consideratione uniuscujusque nostrum cor gaudio abripitur, et in vehementissimae exultationis verba solvitur lingua. De Te denique fausta ominantur et Magistratus universi, et Ipse, quem honoris caussa nomino, Praeses hujus Venetae Provinciae, Proceres urbis, cunctus tandem populus Venetus, qui Tibi plaudit, et omnia pro Tui ingenii indole, et virtutibus eximiis pro certo habet prospera et fortunata evasura.

Illustrissime et Reverendissime Praesul, vides quae et quanta de Te omnes sibi pollicentur. Auspicatissimis igitur hoc onus initiis suscipe: nam qualis, quantusque sit devoti erga Te Tuasque virtutes animi nostri affectus probe intelligis. Una interim cum omnibus et vota mea veniunt, quibus Deum Optimum Maximum enixe precor, ut quod Pastoralis officii curriculum tanta cum laude nunc instituis, ad felicius in dies prosequendum auxiliatricem manum porrigat, Teque in plurimos annos nobis et Ecclesiae Tuae incolumem servet. Ita fiet, ut Metropoliticus Ordo decoris a Te et dignitatis accipiat incrementum: ut Dioecesis Tibi concredita vigilantiae Tuae munere in Domini amore et servitio crescat: ut denique et qui Te indicavit Augustissimus Imperator FRANCISCUS, et qui Te nobis praefecit Sanctissimus Pontifex LEO de Tui Patriarchalis regiminis felicitate laetentur. Ego vero, prout meum fert debitum, quo hodie afficior, eo semper sincero et justo gaudio gestiam, nec palam facere desinam, quantae mihi sit gloriae Te Ducem ac Patronum invenisse.

4

